scripsimus vobis, quia Janitor et Pastor ille bonus,
et Doctor corporis Christi, et lucerna in aede Dei ego
sum, et vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem
seculi. Ita ille. O quis hunc digno satis nomine vocaverit!
Is pessimus & impiissimus mortalium seipsum tantopere efferens
et exaltans, postea qua digna ipso morte perierit, explicabitur.
Scribit praeterea ad Leonem quendam Montanum: Tu autem
cave ne intus apud te ipsum aliquid succidas a fide immota.
Quam enim accusationem instituis adversus nos? numquid
aliquem per avaritiam circumscripsi? numquid superbe egi?
Id certe non affirmatis. Quod si dicas testimonium tuum
verum non est. Absit a me dicere te, sed tantum admoneo.
Quemadmodum recepisti Apostolos et Prophetas, qui
numero sunt quatuor, suscipe etiam Pastores et Doctores
ne a ~~bestiis~~ feris discerperis. Hac ratione se in mille
formas trans~~for~~mutavit, ad diversos deceptorum mores
se accommodans. Nunc enim gigantem, ~~nunc~~ mox simiam,
~~nunc~~ alias leonem, ~~nunc~~ mox vulpem, deinde ex alio aliud
se ~~depingit~~ fingit et transformat. Rursus alio in loco
haec verba profert: Prima scortatio, cui ab Adamo
inde obnoxii sumus, beneficentia est. Posterior major
est, de qua Apostolus loquitur: qui in proprium corpus scortatur,
~~scortatur~~ peccat. ~~Hic~~ Sed homo monstrosus scortationem
vocat recessionem a sceleratis ejus dogmatibus.
Vocabat enim seipsum corpus Christi. Propterea
eos qui ab ipso et sacrilegis ejus praeceptis re-
cedunt scortationis crimine perire calumniatur.

Prima et secunda scorta-
tio ~~quaenam~~ ~~ejus~~ quid fuerint
Sergio?

Vocavit se corpus Christi